



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

146. An possit pænitentias publicas imponere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

sum in literis Apostolicis, blasphemiam, divinationem, fornicationem faminarum cum personis ecclesiasticis, lenocinium parentum & dominorum filias & famulas prostituendum, uti & casus, in quibus Episcopus procedere potest contra Laicos recenserit apud Bertach. *de Episc. l. 4. p. 2. tit. de auctor. Episc. circa spiritualia.*

Quaestio 144. An Vicarius possit reos subijcere tormentis & torture?

Respondeo: indubitatim est, id eum non posse sine mandato Episcopi; cum revera id sit inter ardua. De cetero id eum posse absolute astruit Sbroz. *l. 2. q. 153. num. 3.* citans pro hoc Gl. in *c. Presbyteri. il primo §. 9. c. illi. qu. 5. q. 5.* Abb. in *c. universitatis. de sent. excommunic. num. 5.* & *ibidem Felin. num. 2.* Diaz. in *pr. crim. can. c. 117. num. 15.* idque sine periculo incurrendae irregularitatis. Pro quo *num. 4.* citat Gl. in *c. accusasti. de accusat. Abb. in c. Cleric. ne Cleric. vel Monach. num. 3.* Felin. in *c. cum illorum. n. 12.* Quin & ampliat Sbroz. *num. 5.* hanc sententiam. ita ut Vicarius Episcopi laicis etiam ministris præcipere possit, ut torqueant Clericum; eo quod, licet de jure Episcopus velejus Vicarius, faciens Clericos per Laicos torqueri sit ipso jure excommunicatus, ut Felin. in *cit. c. universitatis.* Decius in *c. dilectus. de appellat. in princip. in contrarium tamen, ut habet num. 9.* sit observantia juxta Abb. in *cit. c. universitatis num. 6.* Clarus *cit. q. 64.* dicentem, quotidie se vidisse sic observari; ut mandante Episcopo Clerici à Judicibus secularibus torqueantur, & hanc esse bonam consuetudinem, ne aliàs delicta Clericorum remaneant impunita. Ac denique tradit Sbroz. *num. 11.* ex Cæpoll. *conf. crim. 78. per tot.* Vicarium Episcopi, si cum assistentia Judicis secularis fecerit Clericum torqueri, qui dein ad mortem condemnatus fuerit, non reddi per hoc irregularem.

Quaestio 145. An Vicarius possit exequi mandata & poenas edictorum?

Respondeo: id eum sine speciali mandato Episcopi non posse (intelligendo hoc de poenis gravibus) Sbroz. *l. 2. q. 189.* citans Rebuff. in *pr. tit. form. Vicar. num. 175.* licet enim Vicarius habeat cognitionem causarum, non potest tamen inquirere, corrigere & punire sine speciali mandato, juxta dicta supra.

Quaestio 146. An possit Vicarius poenitentias publicas imponere, & poenitentias publicè reconciliare sine speciali mandato?

Respondent ad utrumque negativè Ventrigl. *Tom. 2. annot. 14. §. 1. num. 32.* citans Barbof. *de potest. Episc. p. 3. allegat. §. n. 84.* Pax Jord. *l. 12. tit. 12. n. 196.* Est enim hoc ipsum dignitatis episcopalis. Pax Jord. *l. c. uti & Sbroz. l. 2. q. 17. n. 2.* juxta *c. accedentibus. de excessibus Pralator. & ibidem Abb. n. 1.* quæ autè sunt dignitatis episcopalis, sine speciali mandato exerceri nequeunt ab alio inferiore Episcopo. Pax Jord. *l. cit.* Barbof. *cit. allegat. §. 4. num. 87.* Poterit autem hoc ipsum Vicarius ex speciali mandato Episcopi. AA. iidem; quia, quæ sunt dignitatis Episcopalis, possunt committi Vicario. Sbroz. *l. cit. num. 3.* & apud eundem Sbroz. Felin. in *c. his quibus. de off. Ordinar. in princip. Archid. in c. placuit. de poenit. dist. 6.* qui etiam ibi dicat, posse Sacerdotem alium de mandato Episcopi injungere similes poenitentias pu-

blicas; ergo à fortiore Vicario, utpote qui est eadem persona cum Episcopo, & habet jam antecesserit jurisdictionem ordinariam. Ut verò delegari possit hæc potestas Vicario vel alteri, requiritur, ut is sit Sacerdos; cum in foro poenitentiali nullus habeat auctoritatem ligandi & solvendi, nisi sit Sacerdos. Sbroz. *l. cit. num. 5.* juxta *c. omnis. de poenit. & remiss. c. cum satis. de off. Ordinar.* ubi Innoc. & Abb. *num. 1.*

2. Verumtamen distinguendum in hoc puncto inter poenitentias publicas, & inter propriè solennes, (uti hæc distinctio colligitur ex *Apostill. Jo. And. ad Gl. in c. accedentibus. v. publicas*) De propriè solennibus, & earum remissione seu absolutione habemus particulares rubricas in Pontificali, eaque post se, ut Pax Jord. *l. cit. num. 197.* trahunt irregularitatem, dum solenniter poenitentes fiunt irregulares. Has non nisi de mandato Episcopi injungi posse à Vicario indubitatim est; posse verò cum dicto mandato expressè tradit Sbroz. *l. cit. num. 1. & 2.* ubi: *quæro, an Vicarius Episcopi publicas injungere possit poenitentias, ac etiam solennes. respondeo, quod sic, ubi ad sit speciale mandatum.* Et ad has poenitentias solennes restringendam esse mentem DD. negantium, posse Vicarium sine speciali mandato injungere poenitentias publicas, ait Pax Jord. *l. cit. num. 197.* Poenitentia verò aliæ sunt publicæ sine illa solennitate, quas juxta Apostoli monitum: publicè peccantes palam esse corripiendos; mandat Trident. *c. 8. sess. 24.* injungi, ubi crimen ab aliquo commissum publicè, & in conspectu multorum, relinquendo tamen arbitrio Episcopi, ubi ei magis expedire videbitur, commutandi talem poenitentiam publicam in secretam. Et de his poenitentis publicis ait Pax Jord. *l. cit.* non esse eas reservatas Episcopo, adeoque sine speciali mandato illius posse eas injungi à Vicario; cum passim videamus, eas etiam non solum ab Archidiaconis, & commissariis Archidiaconalibus, sed etiam à Lebanis & Parochis imponi.

Quaestio 147. Quid possit Vicarius quò ad excommunicandum?

Respondeo: posse illum excommunicare absque speciali mandato Episcopi. Garc. *p. 5. c. 8. num. 94.* Pith. *ad tit. de off. Vicar. man. 68.* Laym. in *c. cum in generali. de off. Vicar. in 6. num. 9.* Sbroz. *l. 2. q. 168. num. 2.* citans præter alios Gl. in *c. cum ab Ecclesiarum. de off. Ordinar. v. Eccles. in fine,* quæ voluit ob vicem commissam (ab Episcopo in generali commissione Vicariatus) mandatam esse facultatem excommunicandi. Est siquidem excommunicatio actus jurisdictionis *cit. c. cum ab Ecclesiar. & ibi Gl. Abb. & AA. communiter.* Sbroz. *cit. num. 2.* citans præter plures textus Covar. in *c. alma mater. p. 1. §. 11. in princ.* estque gladius excommunicationis nervus disciplinæ Ecclesiasticæ. Trident. *sess. 25. c. 3. c. dilecto. de sent. excommun. in 6. c. nemo. 2. q. 1.* & ad jurisdictionem Ecclesiasticam necessaria; cum jurisdictio sine correctione sit nulla. Sbroz. *l. cit. n. 4.* juxta *l. 1. ff. de jurisd. omn. Judic. c. cum contingat. de foro compet. & ibi AA.* ubi etiam, quòd quilibet Judex Ecclesiasticus possit excommunicare, etiamsi sit delegatus inferioris à Principe, & ab ipso Episcopo, ait Sbroz. *l. cit. num. 3.* citans *c. pervenit. 11. q. 1. Gl. in c. ex literis. de off. deleg. vers. si subdelegatus. Gl. in cit. c. nemo. v. excommunicet.* Covar. *l. cit. num. 1.* qui dicat esse communem. Navar. in *manual. confess. c. 27. num. 5.* & in terminis Vicarii Episcopi Bero in *Rub. de off. deleg. n. 27.*